



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 202. Principum & illustrium Personarum obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

ne Parochi exigi consueverunt, Decani Sæc. XVII.
 curent, ea legitime taxari, agendo de- A. C. 1617.
 super cum Parocho, Magistratu loci,
 Aedituis & Rectoribus mensæ Paupe-
 rum, & si alicubi ea communi consensu
 determinari non potuerint, id Episco-
 po significetur.

§. CCII.

*Principum & Illustrium Personarum
obitus.*

Inter celebriores Episcopos, qui hoc *Roder. de*
 anno obiere, primus occurrit Alexius *Cunha hist.*
 Menesius, qui ex Eremita Augustinia- *Arch. Bra-*
 no creatus Archiepiscopus Goanus, de *ga. Anton.*
 Indiis Orientalibus optime meritus e- *hist. Hisp.*
 rat; quippe ibidem primus Monasteria *Ferrer. conf.*
 Virginum excitavit, & D. Thomæ Chri- *hist. Hisp.*
 stianos Nestorii aliorumque erroribus *tom. II.*
 infectos ad Romanæ Ecclesiæ commu- *Merc. Gal-*
 nionem revocavit, indicta hanc in rem *lob. t. 12. l. 1.*
 Diamperienti Synodo. Postea in Lusi-
 taniam reversus, Bracarensis Archi-
 præsul, necnon Lusitaniæ Pro-Rex a
 Philippo II. Hispaniarum Rege nomi-
 natus die tertia Maij Madriti pie in
 Domino obiit.

Alter erat Julius Echterus Herbipo-
 lensis Episcopus, atque illius Acade-
 miæ Fundator, qui die decima tertia
 Septembris unacum Episcopatu, quem
 qua-

Sæc. XVII. quadraginta quinque ferme annis laudabilissime rexit, mortalitatem quoque A. C. 1617. exuit. Ejus corpus die prima Octobris ex arce ad Templum Sancti Jacobi, & postera die ad Templum Cathedrale delatum solemni pompa ibidem tumulatum est. Successorem habuit Joannem Godefridum Bambergensem Episcopum, qui utramque Ecclesiam medios inter hostes Calvinianos strenue propugnabat, Ex Principibus diem vigesimam octavam Junii vitæ suæ postremam habuit Carolus Münsterbergæ Dux, die autem undecima Martii obiit Margaretha Francisca Hispaniæ Regis Filia, quæ die vigesima tertia Maij Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo Lermæ primam lucem aspexerat. Hoc item anno decessit Carolus Ferdinandi II. Imp. Filius, nonnisi quatuordecim annos natus. Hunc sequebatur, Georgius Thurso de Bethlenfalva Aruensis Comes, qui regante Rudolpho & Mathia Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo Regni Hungarici Comes Palatinus ac Judex Cumanorum creatus est. De Successore mox Hungariæ Proceres instabant apud Ferdinandum II. Cæsarem, quo annuente Sigismundus Forgatsius anno sequenti eligebatur. Eodem fato in Galliis abrepti sunt Francisus

ciscus de la Grange Franciæ Marefcal-
 lus, & Nicolaus Neuvillanus Villare-
 gius, qui arcanis Regni negotiis per
 quinquaginta annos summa cum laude
 usque ad septuagesimum nonum æta-
 tis suæ annum præfuit. Denique Ni-
 colaus Montmorencius Estræus Comes,
 qui Alberto Archiduci supremus ærarii
 Præfectus erat, Gandavi die decima
 sexta Maij naturæ debitum solvit,
 relictis ingenii pietatisque suæ monu-
 mentis. Scripsit enim *Diurnale pietatis*,
Manna absconditum, *florem campi*, *con-*
vivium bipartitum, *Manuale Principis*, *co-*
ronam spiritualem, & plura alia opuscula.

Sæc. XVII.
 A. C. 1617.

§. CCIII.

Bonifacii Caetani Cardinalis mors.

Luxit pariter hoc anno Sacrum Pur-
 puratorum Collegium jacturam duo-
 rum Cardinalium, quorum primus e-
 rat Bonifacius Caetanus patria Roma-
 nus, qui in juventute sua aliquantulum
 solutiori vitæ indulgens, atque in di-
 cteriiis mordacissimus, tandem depofi-
 tis ejusmodi vitiis mores ad Status sui
 dignitatem composuit: Regnante Cle-
 mente VIII. nonnisi unicum Cassanen-
 se Sacerdotium obtinere valuit, eo-
 quod Petro Cardinali Aldobrandino e-
 jusdem Pontificis Nepoti apprime in-
 fensus esset. Ubi vero Paulus V. Apo-
 stoli-

*Ciacou. in
 vita Pauli V.*